

Admodum Ill^{is} ac R^{me} Domine.

Occasionem huius scriptionis praebuit mihi R.D.Dionysius
 Christophorus S.Theol.licent., familiaris et commensalis meus, qui
 ob residentiam canonicatus sui et scholasteriae Brugensis ab ob-
 5 sequio meo discedens, existimavit R^{mae} D. V^{ae} gratum futurum, si
 ei de sua apud nos conversatione per litteras meas testatum esset.
 Cuius sane tam iusto desiderio deesse nolui, cum et ego de vita ip-
 sius, quae mihi tam ex diuturna et familiari consuetudine quam ex
 aliorum relatione innotescit, vere testari possim, et ipse, ut id
 10 faciam, promeritus fuerit. Ea siquidem apud nos vitae integritate
 et morum gravitate ac modestia conversatus fuit, quibus decet verum
 ecclesiae ministrum; adeo ut prudentia ipsius et doctrina cum hac
 probitate coniuncta plane me inducant ut ipsum eidem ecclesiae per-
 utile ministerium praestare posse confidam. In obsequio etiam meo
 15 ea dexteritate et sedulitate se gessit, ut non nisi aegerrime il-
 lum à me dimittam, in tantum ut desiderium sui mihi et omnibus eti-
 am qui illum noverunt, discedens relinquat. Quare vehementer rogo
 R^{am} D.V. ut eundem D.Dionysium mei causa complecti et eo loco ha-
 bere velit, quem virtutes ipsius hic descriptae promerentur, pro-
 20 mittens quidquid in eum benevolentiae vel favoris contulerit, me
 singularis beneficii et gratiae loco aestimaturum, et quibuscumque
 humanitatis officiis R^{mae} D.V^{ae} vicissim responsurum esse. Capuae,
 XX Aprilis 1604.

R^{mae} D. V^{ae}

25 uti frater addictissimus

Robertus Card. Bellarminus.

Episcopus Brugensis

Adr.: Admodum Ill^{ri} et R^{mo} D^{no}, D^{no} episcopo Brugensi. (cachet)